

» paruerint cum effectu, in eosdem Leonardum ducem, rogatorum  
» et generalis consilii consiliarios et alias singulares personas com-  
» munis praedicti Venetiarum, nec non provisores, fautores, con-  
» sultores, adhaerentes, complices et sequaces et quemlibet eorum  
» ac si nominatim singuli praesentibus essent expressi, qui sic non  
» paruerint, aut ut non pareatur seu pareri differatur, consuluerint,  
» suaserint, fecerint, dixerint vel procuraverint, seu alias qualiter-  
» cumque in hoc culpabiles fuerint, directe vel indirecte, tacite vel  
» expresse, ex nunc pro ut ex tunc de eorundem fratrum consilio,  
» majoris excommunicationis sententiam promulgamus et eos illam  
» incurrere volumus eo ipso, a qua praeterquam in mortis articulo  
» constituti ab alio quam a Romano pontifice etiam praetextu cu-  
» juslibet facultatis cuicumque pro tempore desuper concessae  
» nequeant absolutionis beneficium obtinere: ita ut si quem eorum  
» tamquam in articulo constitutum absolvi contingat, qui postmo-  
» dum cum convaluerit, in eandem excommunicationis sententiam  
» reincidat eo ipso, nisi post convalescentiam monitioni et mandato  
» nostris praedictis paruerit cum effectu et nihilominus etiam ec-  
» clesiastica careat sepultura, donec ut praefertur, hujusmodi man-  
» datis nostris paritum fuerit. Et si moniti excommunicatique prae-  
» dicti dictam excommunicationis sententiam per alios tres, dictos  
» viginti quatuor dies immediate sequentes, animo (quod absit)  
» sustinuerint indurato, sententiam ipsam aggravamus, et ex nunc  
» prout ex tunc Venetiarum, Paduan. Veronen. Vicentin. Cremon-  
» nen. Brixien. Tarvisin. Pergamen. Trigestin. Tranen. Brundu-  
» sin. Hydruntin. Monopolitan. et reliqua a Venetis praedictis  
» etiam de facto tenta et possessa, civitates, terras, castra et loca  
» quaecumque citra et ultra mare ac in maritimis insulis existen-  
» tia, et quae in illis sunt ecclesias, monasteria, ac religiosa et pia  
» loca quaecumque, de eorundem fratrum consilio praedicta au-  
» thoritate ecclesiastico subjecimus interdicto, ita ut illo durante in  
» illis etiam praetextu cujusvis etiam apostolici indulti personis,  
» ordinibus, vel locis concessis, praeterquam in casibus a jure